Potest autem ulli imperio quod gloria debet
fultum esse & beniuolencia sociorum: utile
esse odium: et infamia.

Quid? si Tyrannidem occupare: si patriam pro-
dere conabitur pater: silebit ne filius? Immo
uero obsecrabit patrem: ne id faciat: si nihil
proficiet: accusaturum minabitur etiam: ad ex-
tremum si ad perniciem patrie res spectabit:
patrie salutem anteponet saluti patris.

Querit etiam si sapiens adulterinos numos
accipiet imprudens pro bonis: cum id resci-
erit: soluturus ne sit eos. si cui debeat pro-
bonis. Diogenes ait. Antipater negat: Cui
potius assentior

At ne illa quidem promissa seruanda sunt iis
ipsis utilia: quibus illa promiseris?

Sol Phetonti filio facturum se esse dixit: quicquid
optasset: optauit ut in currum patris tolleretur.
Sublatus: atque insanus antequam constitit ictu
fulminis deflagrauit. quanto melius fuerat
in hoc promissum patris non esse seruatum.

Quid Agamemnon cum deuouisset Diane: quod
in suo regno pulcerrimum natum esset illo anno.
immolauit Iphigeniam qua nihil erat eodem

Anno

Licenza: CC-BY-NC – Cologny, Fondation Martin Bodmer, Cod. Bodmer 172, f. 98v – Anthologia latina
(http://www.e-codices.ch/it/fmb/cb-0172/98v)